

occupatus essem, Regina nostra clementissima hortum nostrum praesentia Sua beare dignata sit, quo fiebat, vt a scribendo abstinerer. Litteras Fabricii et Koenigii, quas ante aliquod tempus ad TE misi, accepisse TE spero.

Noua litteraria, quae scribam, vix habeo. Fl. Danicae fasc. Vitus post paschatis festum apparebit. Ascanius Icones et descriptiones dabit ad Zoologiam pertinentes, sed nescio, quando prima Decas perfecta fuerit. Fabricius nunc in Belgio est. Hoc vero relicto in Angliam profecturus est, vbi iam per dimidium annum eius frater commoratus est. Brünnichius iam in Gallia haeret et forte Hispaniam videbit. Oederus Florae caussa per aestatem in Holsatia commorabitur. De Koenigio adhuc nil certi conclusum est. Ferber Berolini est, Lipsiam mox videbit, et inde in Belgium profecturus est. Mox vltimum superstitem e missione nostra Arabica reducem exspectamus.

Gratulor mihi summopere, quod Vxor generosa filiaeque TVAE nobilissimae grata sua memoria me dignari velint, et persuasum habeas velim, me nec eorum, quae illis debeo, beneficiorum, nec innumerabilium eorum, quae a TE quam humanissime in me collata grata memoria recordor, vnquam immemorem fore. In Gratiam fauoremque Vxoris venerandae filiarumque nobilissimarum me commendare velis etiam atque etiam rogo. Ac, si liceat rogare, vt data occasione hospites nostros Haggbyenses cum omnibus huc pertinentibus, meis verbis amice salutes quaeso. Perplacuit mihi horum simplex sinceritas, et bene illis omnia succedant, toto pectore certe opto.

Ceterum vero vt ipse optime et diutissime valeas sincerimus opto. Dabam Hafniae d. XI. April. 1767.

à Monsieur Monsieur de Linné Chevalier, Archiatre,
Docteur et Professeur en Medecine et histoire naturelle à
Vpsala

Fri Bref